DE

CHOREA GERMANORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

OB SUMMOS IN MEDICINA, CHIRURGIA ARTE

OBSTETRICIA HONORES

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

GRYPHISWALDENSI

DIE VII. MENSIS JUNII ANNI MDCCCLXVI

IN SE COLLATOS

EDIDIT

AUCTOR

DR. OSCAR JOETZE,

BORUSSUS.

GRYPHIAE.

TYPIS FRIDERICI HACHE.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

SUMMOPERE VENERANDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Animi duo quidam sunt status alterni, quorum alter somnus altera vigilia. In somno certo tempore recurrente nulla est communicatio cum rebus externis nisi maxime necessaria, internis corporis actionibus nullo modo interpellatis. Ne animi quidem functiones plane remittunt. Is vero externas res praetermittens ac negligens in visionibus imaginibusque adumbratis defixus est ignorans errorem. Quae simulacra somnia nominantur animi agitatione ne in somno quidem acquiescente effecta. Animus quasi in novum quendam somno transfertur mundum maximas praebentem varietates. Neque iniuria animi quasi duplicem quandam esse vitam contenditur, quarum altera ad omnia, quae cadunt in sensus et mente percipiuntur, pertineat, altera fines transeat solitos et celet omnia arcana ac mira.

Ut vero vigilantes item dormientes perturbationibus quibusdam corporis nec non mentis tentari atque corripi possumus: in quibus chorea maior seu Germanorum maxime est notabilis.

Cuius morbi symptomata maxime varia non solum physicis et medicis, verum etiam iis, qui humani animi

naturam investigant, cogitandi et inquirendi materiam copiamque praebent uberrimam. Ac potissimum quidem medicorum cogitatio ad hunc morbum intenditur, quia in eodem semper fere forma et materia unius vel plurium corporis partium valetudine minime commoda et functionibus perturbatis aliquo modo sunt commutatae. In somnambulismo, et in morbo lunatico, similibus statibus non tam corpus quam animus concitatus atque commotus esse videtur. In chorea maiore semper fere motilitatis perturbationes observantur, quae cognationem quandam habere illam cum chorea minore confirmant. Haec ducit originem ex concitatione quadam nervorum, qui nominantur motorii: sed in chorea maiore non solum nervi et motorii et sensibiles, qui vocantur, verum etiam animi functiones dormientibus quidem aegrotis vel somniantibus insuetam plane neque vulgarem praebent naturam.

Quum casu opportunissimo puellae chorea Germanorum correptae ab ineunte morbo usque ad eius exitum plus quattuor menses observandae occasio mihi sit oblata maxime commoda, casum illum a me observatum in hac dissertatione pluribus explicare et latius describere mihi proposui.

Simul cum symptomatum enarratione et descriptione consideratio eorum et, quoad fieri poterit, interpretatio tentabitur. Symptomatibus vero omnibus descriptis sequetur ultima pars, qua paucis summatim generatimque hic casus cum aliis comparabitur et diagnosis confirmabitur argumentis. Haec disserendi ratio morbo tractando aptissima esse videtur.

Nunc quoniam, qua ratione dissertationem disposuerim, supra demonstravi, ad ipsam morbi historiam perscribendam transeamus. Sed antea mihi est praedicandum, ill. prof. Mosler praeceptorem praestantissimum, quem de hac re consului, quia mihi utpote tironi ista symptomata erant plane nova atque ignota, nonnullis enarratis illum morbum non solum agnovisse, verum etiam me de eiusdem natura ac ratione benigne liberaliterque edocuisse: qua de causa gratias illi ago quam maximas.

Historia morbi.

Anamnesis generalis.

Martha J., undecim annos nata, nullo nisi morbillis morbo graviori est affecta. Sed totus eius habitus, aures atque oculi saepius imflammati, catarrhi nasales, pharyngeales, laryngeales, gastrici haud raro apparentes scrophulosam, quae dicitur, dyscrasiam, perspicue demonstrant. Praeterea praesertim ob causam morbi originemque investigandam commemorandum est, puellam iam infantem per multos menses dormientem imagines tam expressas in somnis vidisse, ut saepe clamorem ederet maximum, tales institueret motus, qualibus insectum aut aliquam bestiolam aut periculum imminens arcere velle videretur. Haec autem symptomata paullatim sensimque rarius evenerunt, postea plane decesserunt, nunc vero annis octo vel novem praeteritis magis conspicue mira quadam proprietate insignia et eximia denuo apparuerunt.

Anamnesis specialis.

Puella die quodam festo post meridiem in hortis diu discursando una cum sodalibus excitata, fatigata, calefacta, vesperi in toro sedens somno invita est oppressa. Ubi quum horae fere dimidium dormivisset, etiam tum dormiens sensim de sede delapsa, quamquam a matre prope sedente in pristinum locum frustra erat reposita, crura iterum ac saepius protrudens decidit in pavimentum. Tunc se tangi non est passa, brachia cruraque huc illuc iactavit, summis agitata angoribus matrem etiamtunc dormiens semel ac saepius inclamavit. Repente somno soluta narravit, duos homines feros se in somnis esse consectatos, qua de causa matrem in auxilium vocasset. Plane vero exciderat memoriae, quod vere erat locuta vel clamaverat. Illud in infantia haud tam raro eventum neglectum et minime est curatum. Postea puella somni indigens ad lectum transgressa per noctem bene quiescebat. Sed postero die novem tales impetus exstiterunt, quorum nonnulli per totam fere horam tenebant. Tunc vero multo magis expressi et gravissimis insignes erant symptomatibus, de quorum natura ac ratione infra accuratius disputabitur. Primus illo die evenit impetus, brevi priusquam puella plane erat experrecta, eodem tempore quum semisomno sopore occupata exsuscitaretur, ut calceis et vestimentis sumptis in ludum ire posset literarium. Respondebat quidem ad ea, quae sunt quaesita, et animo repente vehementer concitato agitationes motusque corporis violentissimos, qui voluntarii esse videbantur, edebat, sed semper oculis conniventibus inepta dicebat at-

que aliena. Haud ita multo post re vera est experrecta satis fessa atque confecta quum inanem istum vagumque verborum strepitum tum omnes actiones somniantem tantum se vidisse et peregisse dicens neque ignorans ipsam re vera illa effecisse.

Puella quum valetudine uteretur minus commoda, in lecto se continuit. Sed quum eodem die iterum atque iterum talibus esset tentata impetibus medicus familiaris vocatur, qui emeticum (Tart. stib. gr. ii cum Aq. dest. ℥ii cochlearis minimi mensura sumenda) illo tempore optimo iure catarrhum suspicans gastricum proposuit. Vomitione effecta impetus illo quidem die remiserunt. Nox adventans aegrotae quietem praebuit reficientem ac recreantem, qua ob fatigationem et concitationem impetibus effectam valde indigebat. Postridie vero denuo quinque et sequentibus huius primae hebdomadis diebus quaterni vel quini impetus evenerunt. Quali modo morbi etiam atque etiam procedentis natura ac ratio in dies se mutaverint, postea erit exponendum.

Haec de morbi primordiis.

Status praesens.

De corpore et, quantum ad hunc morbum pertinet, de animo puellae haec sunt dicenda. Tenera est corporis constitutione, animo vegeto atque alacri, bona indole praedita. Dentitio altera iam diu incepit, sed nondum est finita. Corporis magnitudo satis respondet aetati: musculi minime vigent: cutis colore est flavescente, genae vero tenuem praebent ruborem, crines flavi, oculi fusci. Membrana mucosa coniunctivae palpebralis et la-

biorum pallida anaemiam indicat. Palpebras superiores tenuissimas, si super bulbos sunt inductae, iris translucet fusca. Pupillae non sunt mutatae. Ekzemata, otorrhoea, alia scrophuloseos notae non adsunt Glandulae nonnullae cervicales modice tantum tumidae sunt ac turgidae. Ad thoracem intumescentiae cuiusdam et hyperaesthesiae mammarum mentio est facienda. Regiones manuum et pedum articulares, ut ipsa aegrota dicit, doloribus minime acerbis sunt affectae. Superiorum quoque colli vertebrarum regio saepius dolet. Alvi deiectio iam plures dies est oppressa. Vermes inesse in tractu intestinali minime est probabile. Praeterea anomaliae non sunt inveniendae. Leviter atque obscure significaverunt propinqui puellae anomalias quasdam genitalium. Sed exploratio vel inspectio non poterat institui.

Symptomata.

Ipse morbus, secundum videndi sensum, dividi potest in partes tres.

Per primum spatium puella in isto statu oculis conniventibus nihil videbat, sed proximos familiaresque tactu et manibus exploratos cognoscebat. Spatio altero pertinente ad quinque vel sex heddomades oculos ut prius clausos habere videbatur, sed omnia, quae circum se fiebant, percipere valebat Denique hoc spatio peracto oculi semper quidem in impetibus erant aperti, sed tamen puella postea semper ignorabat, quae in iisdem dixerat aut egerat. Per primum et alterum spatium impetus evenerunt inprimis vesperi priusquam aegrota graviorem artioremque capiebat somnum, et tempore matu-

tino priusquam expergiscebatur. Et recidebant quidem tempore certo inter singulos intermisso: puella saepe ex perturbatione superata tanquam ad aspiciendam lucem revocabatur, iterum somno capiebatur, continuo in statum istum rursus incidens, denuo somno excitabatur: ita continua erat vicissitudo, donec somno plane erat oppressa vel, si mane erat, lecto surrexerat et se induerat vestibus. Maxime vero mirabile atque insigne symptoma in illo statu est, quod aegrota omnia, quae tunc in somnis quasi cogitet ac sentiat eodem tempore enuntiat et instituit cum aliis sermones. Ridet, iocatur, canit, plorat, confabulatur. Omnino in illo statu et acerrime est concitata et facillime potest concitari. Puellam re vera somniare inde manifestum est quod symptomata principalia eiusdem sunt generis atque in somniis vulgaribus. Nam omnia, quae aegrota in isto statu loquitur et agit, vigilans aut se somniasse putat aut haudquaquam in memoriam potest revocare. Ipsi somnium semper illusio esse videtur: actiones per somnum vere effectae adumbratae ipsi apparent imagines, quales nos omnes somniantes saepe spectamus: vigilans vero aegrota se illas dormientem re vera perfecisse ignorat. Itaque quum somnium interdum vigilans enarrat, ex ipsa rei natura sequitur, ut iterum eadem loquatur verba, eosdem narret eventus, quos, qui aderant, iam semel viderunt et audiverunt: quia, ut alii, somniasse se existimat. Sed recordatio earum rerum, quas viderat in somnis, non satis erat explicata neque tenax memoria. Saepissime plane deerant et memoria et recordatio: quoque longius morbus procedebat, eo magis sunt minutae. Tertio morbi

spatio omnino evanuerunt, quum aegrota tunc nunquam sciret, quae in isto statu peregisset vel esset locuta.

Quum igitur morbus quasi in uno conspectu sit expositus et ea, quae inprimis perlucebant, commemorata sint, singillatim de unoquoque genere symptomatum disputemus. Atque deinceps nervorum primum motoriorum, qui vocantur, deinde sensibilium, tum ipsius animi mutationes ac perturbationes accuratius exponentur et diiudicabuntur.

Ac primum quidem de nervis motoriis est disputandum. Ii praesertim primo morbi stadio mutati esse videbantur: id quod concludi poterat ex turbidis musculorum totius corporis motibus, in quibus voluntatis vis haud tam facile erat metienda. Hi vero corporis motus magis ex voluntate fiebant, quia neque continui spasmi neque convulsiones, sed tali erant natura, ut puella surgeret lecto, ex eo exsiliret, saltare et conniti in altiores res studeret, temere se proiiceret in pavimentum alta voce pronuncians, intendere ipsam suas cervices perfringere. Sed ne propriae quidem anomaliae deerant motilitatis: quae partim totius corporis rotationibus circa axin et horizontalem et verticalem partim musculorum cervicis et dorsi contractionibus, quae tonicae vocantur, perspicue significabantur. Hoc vero spasmi alterum genus bis tantum terve morbo incipiente a me eo accuratius poterat observari, quod ipse ego aegrotam istis spasmis affectam, quum e lecto se proiecisset, ad eam in eodem recollocandam modo in manibus gestavi, ita ut contractiones musculorum spasticae tactu et sensu a me percipi possent. Haec de nervis mutatis motoriis,

qui, ut musculi aut contrahantur aut relaxentur, efficiunt.

Etiam nervos sensibiles mutatos fuisse, ex articulis et mammis facile sentientibus ac dolentibus concludi posse videtur. Nervi denique sensuum specifici, proprie sic dicti, qui a multis non tam inepte in nervis sensibilibus numerantur, maxime perspicue atque evidentissime erant excitati: quamobrem, qualis fuerit in morbo ratio eorum atque natura, subtilius est perscrutandum. Nervi acusticus, olfactorius, opticus quique tactu explorandi facultatem efficiunt, quin etiam glossopharyngeus vel maxime excitati esse videbantur. Quod attinet ad acusticum, puella omnem audiebat sonum licet esset lenissimus.

Omnia autem, quae graviter sonabant, aliis haudquaquam ullo modo molesta, non solum iniucunda erant aegrotae, sed etiam evidenter quasi morsu quodam efficiebant dolorem. Voces propinquorum subtilissime discernere valebat, omnes voce noscitabat, quibus multa consuetudine fuerat coniuncta, nisi iisdem certas assignaverat partes: ipsa quoque saepissime alienam ferebat personam pro somnio nato. Ut exemplo utar, saepius somniabat se regis esse filiam: qua de causa de domibus regiis, de hortis, de cubiculis cultu insignibus narrabat, eos qui fortuito lecto astabant, famulos vocabat ac pedisequos, lectum existimabat torum, vestes nocturnas putabat holosericas, quamvis propinqui errorem ei extrahere studerent. Sed ut ad propositum revertamur, illae perturbationes et auditus modo expositae et tactus etiam exponendae praesertim per primum morbi stadium

poterant observari. De tactu explorandi facultate dicendum est, puellam illo tempore in ipsis impetibus manibus explorantem familiarium et notorum, qui aderant, corpora discernere valuisse.

Maxime vero mira simul cum altero spatio ineunte emerserunt symptomata: quae originem duxerunt e sensu videndi. Aegrota, quae ad id tempus oculos habebat opertos in impetibus, qua de causa animo visa, ut fit ex naturae legibus, non percipiebat, altero spatio palpebras. quae etiamtunc bulbos plane tegere viderentur, quasi transspicere valebat: immo vero melius atque acrius videre et videndo percipere videbatur quam oculis apertis. Ex quo tempore eos, qui aderant, non iam tangendo et manibus explorando discernere studebat atque cognoscere. Describebat accuratissime aliorum vestes, edebat, quasnam monstraret horas horologii virgula, bene et commode in libris legebat oculos non aperiens. Sed aegre ac moleste ferebat ab aliis indagari et pervestigari quasi indignans quod dictis suis non sine ulla dubitatione habebatur fides.

Quo spatio post sex fere hebdomades peracto, tertio incipiente paullatim sensimque novae mutationes variationesque exstiterunt. In his, ut iam supra commemoratum est, quod aegrota, simul in statum illum incidit, oculos non iam habebat opertos et tamen dormire vel somniare videbatur, maxime elucebat.

Quod denique attinet ad olfactorium et glossopharyngeum, hi nervi multo minus quam alii supra dicti excitati esse videbantur.

Jam symptomatibus, quae e nervis omnium generum permutatis ducunt originem, expositis transeamus ad enarrandas anomalias e perturbatione quadam animi emanantes.

Puella similiter se gerebat ac si vigilaret praeterquam quod mores plane mutaverat. Quamquam enim puella, nimirum alacris et vegeta, tamen modesta et blanda est, in isto statu ratio sui gerendi ipsa erat contraria. Inprimis voluntatis vis erat debilitata: quasi inertia quaedam aegrotae animum occupasset Interdum omnium immodestissima, indulgentia corruptissima esse videbatur. Saepe contra omnibus multa dedit blandimenta et mirabili erga parentes erat pietate. Haud raro propinquos quique aderant verbis prosequebatur contumeliosis, pugnis caedebat, aqua conspergebat, maxime variis modis vexabat, sed aliis temporibus verbis cumulabat eosdem blandissimis Maxime eam delectabant sermones ludicri et iocosi. Sed semper cautio erat adhibenda ne vel minima re eam offenderes neve levi brachio de ulla re obiiurgares, quamvis re vera commisisset culpam: nam animus ad accipiendam offensionem erat mollissimus neque facile placandus. Voces singulas, quae a propinquis iaciebantur, levissimas aliquam ad se pertinentem vituperationem insigni sollertia interpretabatur: quod se moleste ferre significabat lamentationibus aegerrime sedandis. Interdum puella versus fundere tentabat. Erant partim versus, quorum memoria de poematibus aliis, quae prius edidicerat, animum subibat, partim ab ipsa facti, quorum ratio eius eruditionis gradui plane conveniebant quique minime sublimes

nedum divino quodam afflatu essent exorti: immo vero maxima ex parte erant ieiuni et aridi.

Quo magis procedebat morbus, eo similior vigilando status iste somniandi fiebat. Tertio spatio statuum vigilandi et somniandi distinctio saepe erat difficillima. Puella haudquaquam tenebatur lecto, domo egredi poterat in somniandi statu, diligentissime persequebatur mandata: sed illo liberata ne minimam quidem memoriam actionum suarum neque dictorum poterat repetere. Quamquam vigilationem simul cum somniandi statu adesse posse vix cogitatione comprehendi potest, iam memoria somnio peracto plane deficiens satis declarat, statum illum esse somniculosum. „Man bedenkt nicht“, sagt Purkinje, „dass es eben auch ein Widerspruch ist, während des Schlafes einen solchen (Traumzustand) gelten zu lassen. Man hat hier sogar zugegeben, dass im tiefsten Schlafe ein Träumen vorkomme, das jedoch aus Mangel an Erinnerung zum gewöhnlichen Bewusstsein nicht glangen könne. Mir scheint es unbedenklich, mit gleichem Rechte träumerische Zustände jeder Art, somit auch Bewegungsträume, active sowohl als passive, auch neben partiellem Wachsein gelten zu lassen.“

Aetiologia.

Causas, quae hunc morbum in hac puella antecesserunt, ut sensim ac paullatim adeo cresceret, ut tota morbi vis ad id tempus quasi secreta ac velata tam subito erumperet, profecto maxime varias fuisse necesse est et diversissimas. Ex iis facillime inveniendae sunt

hereditariae. Quum infirma constitutione et dyscrasia scrophulosa puellam vexante nervi multo facilius incitentur, illam quodammodo a matre, quae ab ineunte aetate infirma usa sit valetudine, hereditate morbum accepisse vel potius corpus invalidum, est in aperto. Patris quoque habitus proprius corporis integritatem in iustam vocat dubitationem, quamvis nullo unquam morbo graviori se vexatum et optima omnibus temporibus valetudine usum esse confirmet.

Praeterea haud parvi momenti esse videtur, puellam e matre aetate iam provecta esse genitam.

Sed multo magis perspicuum est, animi aegrotae naturam ac rationem quasi avitam esse et patritam. Pater ipse intelligens, peritus, constans, qui acerbissimum superstitionis habet odium, tamen nocte quadam repentinum visum quoddam sibi esse obiectum certissime confirmat. Hallucinationibus igitur visus, quae vocantur, vexari videtur. Et patris propinqui quidam et una ex eiusdem sororis filiis talibus omni tempore hallucinationibus fertur vexari. Immo vero matris cognati quidam atque affines similibus morbis erant affecti. Matris pater et soror, puellae igitur avus et matertera morbo laboraverunt lunatico: quorum alter per totam vitam eo vexatus, altera brevi tempore casu quodam intercedente est liberata. Aliae causae diversae ac variae ad genus pertinet. Quum corporis quaedam anomaliae tum ratio educandi, versandi in aliqua re, natura ludorum quorundam puellarum cogitationis nimiam ubertatem efficiens, ita ut in somno rerum, quasi gerantur, sub aspectum paene subiectio exoriatur, desuetudo industriae ac sedu-

litatis, confectio ex continenter ludendo, ex commorando plures horas et eas continuas in scholis ad discipulorum numerum angustis: haec omnia valetudini incommoda possunt afferre maxima praesertim crescentibus corporibus infirmis, tentationibus obnoxiis, ad noxiam vim perferendam minime resistentibus.

Denique ideo puella facilius suscepit morbum, quod eodem tempore, quo is prorupit, erat in altera dentitione, qua corpus acriori quodam modo concitatur.

Therapia.

Curabantur et corpus et animus. Ad illud corroborandum ac confirmandum portiones ferri carbonici saccharati quam maximae, victus largus et plurimum praestans alimenti sunt data simul cum lavationibus quum calidis tum frigidis per longius tempus adhibitis.

Quum morbo remoto anaemiae symptomata abierint, rationem illam roborandi salutarem neque irritam fuisse, haud immerito est coniiciendum.

Animi duplex erat instituenda curatio. Partim aegrotae vigilantis animus exercebatur, ad quam fortissime agendum impellebatur, ut firmaretur voluntas: partim in ipsis impetibus maxime per primum et alterum stadium, quum saepenumero adiret vitae periculum, diligentissime erat custodienda et observanda. Inprimis vero eo tempore frequens vitabatur corona. Saepius evenit, ut aegrota, si vesperi in impetum inciderat, quum ratione quadam conveniente colloquendi tum liberaliter cohortando et multa pollicendo artum gravemque caperet somnum.

Epicrisis.

Quibus rebus omnibus expositis ad epicrisin transeamus, qua non minus quam causis iam explicatis diagnosin esse subtilissimam demonstratur. Sed antea mihi dicendum est, me in ea componenda talem fere rationem, quali usus sit ill. prof. Mosler in casu quodam choreae Germanorum (Deutsche Klinik, 1860) publicato, esse secutum.

Ac primum quidem quum in omnibus nervorum systematis partibus mutationes quasdam fuisse demonstrari potuerit, definitio, qua hic morbus ab ill. Hasse (Virchow, Spec. Path. IV, 1.) est assignatus, in hac re profecto choream agi Germanorum haud dubie confirmat.

De causis commemorandum est, in hoc casu tales esse, quales iam alii ediderunt. Wicke hunc morbum maxime ex nervis pendere quodammodo mutatis sive congenitis sive acquisitis confirmat: quo multa in morbi historia commemorata pertinere videntur. Neque vero minus propria conditio genitalium, quae in casu ab ill. prof. Mosler publicato permagni fuit momenti, ad morbum exorientem multum conferre videtur: praesertim quum mammae, ut facile intelligi poterat, essent mutatae et genitalium coniici quidem posset quaedam mutatio. Huc accedit, quod morbus certo crescendi vel pubescendi tempore exstitit.

Hasse dicit, singulos impetus non semper evenire causa aliqua antecedente, et inprimis animi quibusdam motibus, multo rarius corporis effici perturbationibus. Ordo quidam in iisdem apparentibus in nostro casu non poterat observari.

Paroxysmi primo tempore, ut iam commemoratum est, identidem die, praesertim mane et vesperi, nocte nunquam exorti sunt. Postea leniores quidem fiebant sed magis continui, ut puella saepe per totum fere diem somniaret. Repente ex inopinato paroxysmi finem capiebant aegrota quasi e somno gravissimo expergiscente semper fere stupida rebus circum se fortuito mutatis.

Quod attinet ad ipsa impetuum symptomata etiam hac in re non est infitiandum, multa esse obscura neque ullo modo posse illustrari, tamen haudquaquam tam nova esse et inaudita, ut divinus quidam afflatus in hac re iuvans in mentem veniat: id quod alio tempore factum esse videri nonnulli mirum in modum confirmant. De motuum ratione iam supra est disputatum. Paralysis ullius partis non est observata. Arteriarum pulsus et respiratio eo frequentiores, corpus eo calidius fiebat, quo magis musculi contendebantur quoque vehementius in impetibus excitabatur animus.

Quae quum ita sint, chorea maior seu Germanorum quodammodo somni morbus potest nominari, quo qui laborant, se laborare vix sint conscii, nisi ab aliis certiores fierent. Benignitate quadam atque clementia natura illis aegrotis eorum, quae agunt in impetibus, totam fere eripuit memoriam.

VITA.

Oscar Julius Adolph Joetze, confessioni addictus evangelicae natus sum in Borussiae occidentalis vico, cui nomen est Neo-Paleschken, anno h. s. XLIII die XXVI. men. Decbr., patre optimo carissimo Gustavo, matre dilectissima Caecilia e gente Staecker, quos summe venerandos Deus optimus maximus mihi servavit et, ut diutissime servet, ex animo eum precor. Primis literarum elementis imbutus gymnasium adii Coniciense, quod per decem annos frequentavi. Auctumno anni h. s. LXII. testimonium maturitatis nactus Regimontium me contuli, ubi a Prorectore Magnifico ill. Rosenkranz civium academicorum numero adscriptus et apud ill. Friedlaender t. t. Decanum maxime spectabilem gratiosi philosophorum ordinis nomen rite professus sum. Semestri primo peracto mense Aprili a. h. s. LXIII. Gryphiam petii, ubi ab ill. Voigt Rectore magnifico in civium academicorum numerum receptus medico ordini a decano maxime spectabili ill Bardeleben sum adscriptus. Ibidem per septem semestria medicinae studio operam dedi.

Disserentes audivi.

Regimontii:

Ill. Rosenhain: de calculo differentiali et de geometria analytica.

Ill. Rosenkranz: de philosophia rerum historiae.

Ill. Ueberweg: de historia philosophiae.

Gryphiae:

Ill. Limpricht: de chemia anorganica, organica, physiologica: idem mihi dux fuit in exercitationibus chemicis.

Ill. de Feilitzsch: de magnetismo et electricitate, de calore, de physice experimentali.

Ill. Muenter: de botanice.

Exp. Otto: de alimentorum chemia et physiologia, de urinae chemia.

Exp. Jessen: de zoologia.

Ill. Budge: de osteologia, syndesmologia, myologia, splanchnologia, de anatomia et physiologia organorum sensuum, de physiologia experimentali, de encyclopaedia et methodologia medica: idem mihi dux fuit in exercitationibus cadavera rite dissecandi nec non physiologicis.

Ill. Schultze: de angiologia et neurologia, de anatomia comparata, de osteologia.

Exp. Landois: de histologia, de embryologia.

Ill. Grohe: de anatomia pathologica et generali et speciali, de parasitis hominis: idem mihi dux fuit in exercitationibus anatomico-pathologicis.

Ill. Ruehle: de pathologia et therapia speciali, de nervorum morbis.

Ill Bardeleben: de chirurgia generali et speciali, de akiurgia: idem dux mihi fuit in operationibus chirurgicis, in cadaveribus instituendis nec non in clinico chirurgico et opthalmiatrico.

Ill. Mosler: de pathologia et therapia speciali, de morbis renum, de psychiatria, de auscultatione et percussione. Idem mihi dux fuit in clinico medico.

Ill. Pernice: de theoria artis obstetriciae, de morbis mulierum, de morbis neonatorum: idem mihi dux fuit in clinico obstetricio.

Ill. Laurer: de materia medica, de arte formulas medicaminum rite concinnandi, de arte fascias chirurgicas rite alligandi.

Exp. Krabler: de auscultatione et percussione, de exanthematibus acutis, de morbis infantum.

Exp. Heineke: de syphilide et morbis cutis, de fracturis et luxationibus.

Exp. Schirmer: de opthalmiatrice, idem dux mihi fuit in exercitationibus ophthalmoscopicis et ophthalmiatricis.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi, de politia medica.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas semperque habebo.